BREVISSIMUM

METAPHYSICÆ

COMPENDIUM,

Secundum Mentem

NOMINALIUM.

3 D. Whitby

Cavendum illud identidem monemus ne circa abſtractas Notiones ita occupemur, ut Phyſicas negligamus cum plerumque nihil ſint præter Logicas voces & male terminatas Ideas quæ vana Scientiæ perſuaſione nos inflant. Colbert Philoſ.

OXONII.

Typis *L. Lichfield*, Sumptibus *Hen. Clements* Bibliop. *Oxonienſis*, An. Dom. 1690.

COMPENDIUM

Metaphyſicæ.

METAPHYSICA eſt *Scientia* diſtincte explicans generaliſſimos Entium conceptus: eſt autem *Scientia*, quia neque

1 Eſt *Ars*, quæ dirigit ad Opus; neq;

2 Eſt *Prudentia*, quæ verſatur circa Bona & Mala.

Dixi vero *Conceptus*, quia non tam verſatur circa Entia uti ſunt, quam uti à Nobis apprehenduntur; ideoque complectitur *Privationes*, *Relationes*, *Entia*, & *Diſtinctiones Rationis*, &c.

Conceptus vero, eſt rei cujuſvis qualiſcunque menti Repræſentatio, unde nihil impedit quò minus una eademque res varios conceptus excitet, quatenus aut *dulcis* eſt, aut *fluida*,

aut *alba* &c. quatenus aut *Pater* eſt, aut *filius*, aut *Dominus*, &c. Diverſi autem Conceptus minime faciunt tot diverſas Res, (etiamſi id pleriſque *Metaphyſicis* ſit perſuaſiſſimum) *unus* enim idemque Collis non ſtatim in duos tranſit, ſi concipiatur ut *Acclivis* eſt, & *Declivis*: Nec Punctum aliquod Materiæ ſi concipiatur ut *Ens* eſt, *Subſtantia*, *Quantum*, *Coloratum*, *Durum*, &c. ex his conceptibus numeroſum fieret; quod contingere oportuit, ſi omnis diverſitas *Conceptus* oriretur ex Diverſitate *Rei*; Quippe ſi tollas *hoc Ens*, aut *hanc Subſtantiam*, aut *hoc Coloratum*, non reliquum erit aut *Durum* aliquid aut *Quantum* &c. Ipſam vero Duritiem aut Quantitatem in Abſtracto ſumpta extra intellectum prorſus Nihil eſſe ex infra dicendis conſtabit.

Quicquid autem concipi poſſit concipitur vel

1 *Per ſe*, & eſt Ens Reale Senſibile.
vel
2 *Per Aliud*: i.e. per aliquod Senſibile:

Mu-

Mutuamur vero Conceptus a Senſibilibus

I. Abſtrahendo, idque *a Materia, ejuſque Modis omnibus & Attributis*, atque hoc modo *Angelos, Spiritusque* omnes apprehendimus; Cum vero Intellectus noſter ita Corpori alligetur, ut ſine materialibus Organis ne cogitare quidem poſſit, haud facile poſſumus a materia omni Abſtrahere (id vero minime incredibile videri poſſit, ſiquis animadvertat, quanta confuſio & perturbatio Intellectus & totius Rationis, imo quanta ſæpe Stultitia & Inſania oriatur ex febre, vulnere aliquo, aut plaga in Caput accepta, &c. quæ mentem ipſam lædere non poſſunt, & quomodo iis omnibus non aliter quam ex medicina ſuccurri poſſit.) Cum autem difficile ſit a materia omni penitus abſtrahere, Angelos nobis repræſentamus ſub forma Materiæ puriſſimæ (puta ætheris) individuatæ, quorum motus omnes & localitates facta

aliqua imperfecta a Corporibus Analogia imaginamur, ita tamen ut quod contradicit Naturæ Corporis, illud nec Angelis quidem convenire quovis modo concipi poſſibile ſit; viz. duos eſſe in eodem loco, eundem in duobus: Quæ ſi aliqua *Religio* perſuadeat (quod *Pontificii* contendunt) Credi poſſunt, Concipi nequaquam. Immateriale vero aliquid conci-
1 Poſitive, ut Angeli. (pitur
2 Negative, ut Nihil.

II. Abſtrahendo a *Materia tantum*: Atque hoc modo concipimus *Accidentia*, quæ non ſunt Entia Realia, ſed variæ diſpoſitiones ejuſdem Materiæ; ex quibus Oriri poſſunt diverſi Conceptus. Si enim ex *Globo* cereo fiat *Cubus* cereus, nec perit Ens aliquod nec Generatur, Novus autem poteſt fieri Conceptus.

Quod ſi obſtinate aliquis objiciat *Accidentia*, puta *Quantitatem*, *Figuram*, *Colorem*, &c. ideo eſſe Realia, quia exiſtunt nemine Cogitante. Reſpondeo,

ſpondeo, verum eſt exiſtere Corpus aliquod quod poſſit habere reſpectum ad *Oculos*, ad *Tactum*, ad *Situm*, cujuſque Partes poſſunt habere hunc vel illum reſpectum mutuum ad ſeinvicem, quod vero iſtiuſmodi reſpectum habeant ante Operationem Intellectus, id penitus inficior; cum *Relationes* omnes, licet fundentur in Rebus, non ſunt Actu & formaliter ſine *Referente*: Accidentia vero Omnia nihil Aliud ſunt quam *varietas* Reſpectuum, ſi enim concipiantur uti abſolute exiſtunt, nullus eſt *Color*, nulla *Figura*, nulla *Quantitas*; Res enim prorſus eadem eſt, utrum illuminetur, necne; & pars ſingula Quantitatis exiſtit indiviſa in loco aliquo ubi eſt, nullo habito reſpectu ad aliam ſive proximiorem, ſive remotiorem, niſi fieret ab Intellectu aliquo comparante; *Figuræ* etiam Rerum pari modo oriuntur, viz. ope Intellectus comparantis omnia latera inter ſeinvicem, ſine qua Comparatione nullus eſt *Color*, aut *Quantitas*, aut *Figura*: Atque idem poteſt dici de cæteris Accidentibus, Hunc vero Re-

ſpectum non eſſe aliquid Reale abunde infra conſtabit

Omnia Accidentia Oriuntur ab Intellectu conſiderante vel

1 Situm partium: qualia ſunt
  1 Quantitas, ejuſque tres Dimenſiones.
  2 Figura:
  3 Odores; Res enim eadem ex diverſa partium diſpoſitione fieri poſſit aut fœtida, aut grata.
  4 Colores.
  5 Raritas, & Denſitas.
  6 Mollities & Durities,, cæteraque fere omnia quæ afficiunt Tactum, uti Aſperitas, & Lævitas.
  7 Sapores: vel

2 Conſiderante Motum: qualia ſunt
  1 Calor: quod conſtat ab eliciendo Igne ex ferro & ſilice.
  2 Gravitas & Levitas.
  3 Soni.
  4 Fluiditas.
  5 Lux.

Motus vero omnis non eſt Ens Reale, ſed pendet ab Intellectu conſiderante Corpus quatenus

tenus modo fuit in uno loco, & jam eſt in alio; Corpus enim abſolute ſumptum non eſt niſi in aliquo certo loco, quem ſi relinquat eſt in alio loco; nulluſque eſt *Motus* niſi fuit *Reſpectus* inter locum Corporis relictum & acquiſitum, ita ut dicatur potius quid *Reſpectivum* quam *Succeſſivum*, exiſtatque in ſolo Intellectu comparante utrumque Locum.

III. Abſtrahendo a *Singularitate*; ſic *univerſalia* nobis repræſentamus ſub imagine plurium Singularium individuatione omni, quantum poſſumus, nudatorum, quæ nihil aliud ſunt quam *Conceptus* non reſpondentes *Rebus* ſed *Vocabulis*, quæ rebus ſimilibus eadem tribuuntur, ne verborum *ſingularium* multitudine opprimeremur; de quibus *Logicos* conſule,

Quod ſi a *ſingularitate omni* abſtrahimus, ſolumque id concipimus in quo omnia Entia conveniunt, conceptum facimus *Entis quatenus eſt*

Ens, ſive *Entis in genere*, & appellatur *Ens*, *Aliquid*, ſive *Subſtantia* vel *Res*; cum quicquid exiſtit, Per ſe exiſtit, nullumque datur *univerſale* niſi in Intellectu:

Ens vero eſt primum Cognitum, & quoties aliquid neſcimus definire, primum quod nobis ſuccurrit eſt Ens:

Ens in *Genere* ſumptum ſignificat Entitatem exiſtentem in omni Re ſingulari, non conſideratis Modificationibus, Accidentibus, cæteriſq; Entium Diſcrepantiis.

In Ente vero ſic *univerſaliter* ſumpto conſiderari ſolent ejus *Principia*, & *Affectiones*.

1 Principia Entis ſunt *Eſſentia*, & *Exiſtentia*.

1 Eſſentia vel idem ſignificat quod Ens, & eſt unaquæque Res *intrinſece* conſiderata, vel eſt Ens in *Abſtracto*, fitque ab Intellectu; vel eſt id quo omnia diſcrepant inter ſe, atque ita ſignificat modos & diſpoſitiones partium, a quibus Res varia nomina & Definitiones

finitiones ſortiuntur; & ſunt Eſſentiæ Particulares.

Quod *Metaphyſici* dicunt *Entia in Potentia habere Eſſentiam*, falſiſſimum eſt; *Roſa* enim in Potentia non differt ab *Homine* in Potentia, & utrumque eſt purum *Nihil.*

Quod autem dicunt *Eſſentias Rerum eſſe æternas*, viz. Hominem eſſe Animal Rationale, etiamſi *nullus Homo* exiſteret, ſi intelligant hoc vocabulum *Hominem* ſignificare *Animal Rationale*, (utrum exiſteret necne,) hoc in confeſſo eſt, ſi tamen eſſet vocabulum iſtud; Atque ita *Centaurus* ſignificat perfecte Hominem, & perfecte Equum; ſed Nomen non ponit Rem: vel ſecundo intelligunt, ſi eſſet Homo eſſet Animal Rationale, atque hoc etiam certiſſimum, ſed *Hypotheſis* nihil ponit *Categorice*; nec enim ſequitur quod ſi *Petrus* eſſet decem Pedes altus eſſet Gigas, ideo vere eſt Gigas utrum ſit decem Pedes altus

altus necne: Pari vero modo quo Ille eſt Gigas, Ens in Potentia habet Eſſentiam, hoc eſt, non omnino: Aliquid *Eſſentiale* dicitur vel

1 Conſtutive, quod Eſſentiam Rei, vel partem Eſſentialem conſtituit; vel

2 Conſecutive, quod pro noſtro Concipiendi modo neceſſario eandem ſequitur, ſic *Proprietates*, *Actiones emanantes*, ut Lux a Sole.

2 Exiſtentia vulgo dicitur id quo Res eſt extra ſuas Cauſas, ſive *Actu* eſt id quod eſt. Hæc vero Definitio convenit quoque *Eſſentiæ*, ſi nullum ſit *Ens in Potentia*: In hoc vero diſtingui poſſunt *Exiſtentia* & *Eſſentia*, quod *Exiſtentia* eſt Illud, in quo omnia Entia conveniunt; *Eſſentia* eſt id quo diſtinguuntur, idque non *Accidentaliter*; ita ut Exiſtentia Reſpondet Quæſtioni, *An ſit?* Eſſentia Quæſtioni, *Quid ſit?* Si vero omnis Eſſentia ſit *Actualis*, utrumq;

trumque pertinet ad Quæſtionem, *An ſit?* Sola Eſſentia ad Quæſtionem, *Quid ſit?*

Unde male conantur *Metaphyſici* probare Exiſtentiam *Dei* ab ejus Eſſentia, (nempe quia Eſſentia ejus includit omnem Perfectionem, ideoque ipſam quoque Exiſtentiam comprehenderet,) cum omnis cujuſvis Rei Eſſentia includat Exiſtentiam. Quod ſi dicant Eſſentiam Dei in Potentia includere Exiſtentiam, (quod falſiſſimum eſt,) dico eam Propoſitionem nihil aliud ſignificare quam ſi *eſſet Deus* fore illum *Rem Exiſtentem*, id vero ſupponit non probat *Deum*, vel, quod tantidem eſt, τὸ *Deum* ſignificare aliquod Perfectum & Exiſtens; Quod non magis probat Deum quam Phœnicem exiſtere.

2 Affectiones. Affectiones vero Entis ſunt tres.

(1) Unitas, & eſt id quo Res eſt indiviſa in ſe; per ſe ſubſiſtit, ſive eſt eadem numero cum ſeipſa: atq;

atque hoc convenit *Omni Enti*, quoniam aliter Ens non eſſet *Unum*, ſed *Multa*; Multa autem ſupponunt Unum, & Nihil ſunt niſi ab Uno ſuſtententur: ideoque *Hæcceitas*, ſive *Individuatio* fluit ab Actuali Eſſentia, Omne enim Ens Reale eo modo quo Eſt, eſt Singulare. Unitas eſt vel

1 Simplex, quæ nullo modo dividi poteſt, ut *Deus*, *Angelus*, *Atomus*: vel

2 Secundum Quid: quatenus Res non poteſt dividi in plura ejuſdem ſpeciei, ut *Homo*, *Bos*: Hæc vero convenit omni *Compoſito*: Eſt autem vel

1 Univerſalis, ſive Unitas Rationis, quæ fit ab Intellectu, ut *Genus*, *Centum*, *Mille*, vel

2 Singularis, ſive Unitas Rei: eſt autem

1 Vel Formalis, quæ convenit Rei Singulari conſideratæ ſine Individuatione, ut *Humanitas* Petri abſtracta a *Petreitate*: vel

2 Nu-

2 Numerica : eaq; eſt vel
1 Eſſentialis, quæ fit ex partibus Eſſentialibus : vel
2 Accidentalis, quæ fit tribus modis.
1 Per *Concretionem* : ſic Accidentia cum Subjectis Unum faciunt.
2 Per *Aggregationem :* ut Acervus Lapidum.
3 Per *Conſociationem :* ut Reſpublica, Exercitus, Eccleſia.

(2) Veritas : Eſtque Conformitas Rei cum ſuis Principiis Eſſentialibus, atque eſt Illud quo Ens vere eſt id quod eſt ; Deſcribitur etiam a *Cauſa, Convenientia Rei cum Intellectu Divino*, quæ non eſt ipſa *Veritas*, ſed Cauſa & Regula Veritatis, propterea Omne Ens eſt verum, quia non poteſt non eſſe id quod eſt ; ita ut *falſo Eſſe* idem ſignificat, ac *non Eſſe Omnino* : ideoque non datur *Falſitas Tranſcendentalis*. Veritas vero eſt vel
1 Rei : vel
2 Propoſitionis. Ve-

Veritas Propoſitionis poſterior eſt, pendetque a Veritate Rei, quia enim Ignis eſt in ſe calidus, ideo veriſſime appellare licet Ignem calidum: Eſt vel

1 Tranſcendentalis, de qua hactenus, vel

2 Prædicamentalis: atque eſt vel

1 Simplex, quæ eſt in prima operatione Mentis, cui nulla *Falſitas* opponitur. Auricalchum enim ſeu falſum Aurum vere eſt falſum Aurum, falſuſque Hominis conceptus non eſt conceptus Hominis, ſed Rei alterius: Siquis vero in Conceptu aliquo id attribuat ſubjecto quod *ibi non eſt*, Conceptus ille eſt *Complexus*; viz. Concipio aliquid aliud cum Subjecto, ut *Solem Pedalem*: vel

2 Complexa; eſtque duplex,

1 Logica, quæ eſt convenientia Propoſitionis cum Rebus uti ſunt, etiamſi quis cre-

crederet rem aliter ſe habere: vel

2 Ethica: Quæ eſt convenientia Propoſitionis cum judicio Intellectus, cui opponitur *Mendacium.*

(3) Bonitas; quæ eſt Perfectio Entis, ſive illud quo Res ſibi congrua eſt, & conveniens; Nihil enim ab Entitate ſua ſibi eſt Tormentum: Hanc ob Rationem dixit *Deus* omnia Opera ſua eſſe *Bona.* Male definitur *Convenientia Rei cum Altera,* cum Hoc ſit Secundaria Bonitas, & pure Reſpectiva, nec *Omni Enti* neceſſario convenit, cum poſſit eſſe aut *Unum* ſolummodo Ens, ut ante Creationem Mundi: aut *Duo* ſibi invicem Contraria & Inconvenientia.

Fundamentum hujus Bonitatis eſt *Æterna Bonitas*, & *Juſtitia Dei,* quæ noluit Aliquid ſibi ipsi moleſtum facere, ideoque Nullum Ens eſt ſibi *malum.*

Bonum eſt vel

1 Verum, vel

2 Ap-

2 Apparens:
Utrumque eſt vel
1 Per Se, vel
2 Per Accidens.

Bonum eſt vel
1 Naturale, quæ eſt Bonitas Unius Rei reſpectu Alterius: ſic *Medicina* eſt Bona. Vel
2 Morale: ut Virtus.

Iterum, Bonum eſt vel
1 *Honeſtum*, *Utile*, aut *Jucundum*. Vel
2 *Animi*, *Fortunæ*, aut *Corporis*.

Malum eſt vel
1 Culpæ, ut *Vitium*: vel
2 Pœnæ: ut *Pœnæ omnes*.

Hæ vulgo appellantur *modi* Entium, nihil autem ſunt niſi varii *Conceptus* ejuſdem Rei petiti non *extrinſecus*, ſed ab ipſa *Entis Natura*, in quibus tamen nonnulla occurrunt *Specioſa* magis,& *Veriſimilia*; quam *Vera*.

I V. Abſtrahimus a *Localitate*, ſive *Præſentia* Rei, quæ vel
1 Ineſſe debuit in Subjecto, & dicitur *Privatio*: eſtque vel

1 *In*

1 *In* Abſtracto, ut *Cæcitas*, *Surditas*, eſtque purum Nihil; nec illud concipio *Per ſe*, ſed vel concipiendo *Subjecta* eorum, puta Oculum qualitate illa privatum, vel concipiendo *Habitus*, quorum illæ ſunt *Abſentiæ*, ſic *Injuſtitiam*, *Impietatem*, &c. Vel

2 In Concreto: ut *Subjectum* quod patitur defectnm aliquem, uti *Cæcus*, quod directe ſignificat Hominem qui non poteſt videre; atque Ille per ſe exiſtit, & eſt *Ens Reale*; Omnis *Privatio* eſt quædam *Imperfectio*, ideoque Privatio Privationis non datur: nec Privatio quoquam modo *Deo* convenire poſſit.

Privationes vero in Abſtracto ita pendent ab Intellectu, ut ſine eo *Cæcus* non eſſet *Cæcus*, i. e. non haberet aliquem reſpectum ad capacitatem aut defectum viſionis: Eſſet vero *Actu* & *Abſolute* Homo non pollens viſione; nec obſtat quo minus *Cæcitas* & *Surditas* ſint purum Nihil, etiamſi inter ſe *diſtingui*

videantur, non enim diſtinguuntur *Per ſe* ſed *per Viſum* & *Auditum*, quorum ſunt Abſentiæ: Si enim quis conſideret Surditatem & Cœcitatem ſine ullo reſpectu ad Habitus ſuos, neceſſe erit utrumq; Conceptum eſſe puri Nihili conceptum.

Quod vero regerunt Adverſarii, *Nihil a Nihilo nec Per Se nec Per Aliud diſtingui*, falſiſſimum eſt; ſi enim ultra extremos Mundi Cancellos ſupponamus purum Nihil, nemo inficias iret Nihil *Orientale* diſtingui a Nihilo *Occidentali*; non Per ſe, ſed gratia Orientis & Occidentis: Idque uſque adeo verum eſt, ut ſi *Orientale Nihil* beneficio *Creationis* frueretur, fieretque Aliquid, interim *Occidentale Nihil* immutatum poſſit (verbo ſit venia) ſupereſſe.

Si vero *Malum* quoque quatenus Imperfectio eſt & Abſentia Boni habeatur Privatio, nihil tamen impedit, quo minus reddat æternæ pœnæ obnoxios; cum ſit Nihil

hil in ſubjecto in quo debuit eſſe Aliquid. Sic apud nos in carcerem Debitor conjicitur quod non ſolvendo eſt; Pœnaſque dedit Ille injuſtus Servus, qui Talentum non dediſſet fœnori. Privatio vero eſt duplex, vel

1. Quæ tollit Actum ſolum; ut Somnus actum videndi, Dolor ridendi &c. & dicitur *Partialis*: vel

2. Quæ tollit Actum ſimul & Potentiam: ut ſi exſcindatur uterq; Oculus, diciturque *Totalis*; de qua intelligi velint Axioma illud, *a Privatione ad Habitum non datur Regreſſus.*

2. A Præſentia Rei quæ non adeſſe debuit, ut *Cæcitas in Lapide*, atque dicitur *Negatio*: eſtque vel

1 Abſoluta, quæ negat omnem *omnino* Entitatem, & non concipi poteſt, ut *Nihil*; vel

2 Secundum Quid: quæ negat *hanc vel illam* Entitatem, ut *Non lapis, Non videns.*

Concipitur autem Negatio hæc

cipiendo omne Id quod Negatur: Sic *Creationem* concipio per Materiam jam exiſtere incipientem; *Annihilationem* per Materiam jam ultimo exiſtentem.

Removet autem hæc *Negatio* vel

1 Imperfectionem; ut *Deus eſt immaterialis*, *incorruptibilis*, &c. quæ improprie, & ſolummodo nomine tenus appellandæ ſunt *Negationes*; ſignificant enim Res *poſitivas*, quas, cum aliter non poſſumus, *negative* concipimus, & exprimimus: ita ut non tam negative *removeant* omnem materialitatem, &c. quam *ponant* aliquid perfectius. Vel

2 Perfectionem aliquam, ut *Bos eſt Irrationalis*, *Lapis eſt Surdus*.

Omnis vero Negatio *formaliter* ſumpta, & quatenus eſt Negatio, eſt *purum Putum Nihil*, atque ideo omnis Negatio poteſt dici de Nihilo: ita ut *Non-videns*, *Immateriale*, ſi penitus *Negative* ſumantur, de *Nihilo* quoque prædicentur.

V. Ab-

V. Abſtrahimus a debito tempore, ſic *Roſam* in Hyeme, *Arborem* momento ortam concipimus.

II. Mutuamur Conceptus a *Senſibilibus*, *referendo Unum ad Aliud*, & dicitur [1] *Relatio*; conſtat vero hoc eſſe opus ſolius intellectus, cum Res ipſæ ſeinvicem non *reſpiciant*, ſed quicquid uſpiam exiſtit ſit *Abſolutum*: ita ut impoſſibile ſit dari Ens aliquod, quod aut *Eſſentialiter*, aut *Per ſe* ad aliud referatur.

Objicitur autem, *Dependentia a Creatore* eſt Reſpectus ad Creatorem; Omnis autem Subſtantia *dependet a Creatore* ſine omni ope Intellectus; Ergo ſine omni ope Intellectus habet *Reſpectum* ad Creatorem. Reſpondeo ad *Majorem*: Quod pendet a *Deo* tanquam a *Cauſa*, non magis Eſſentialiter reſpicit *Deum*, quam *Filius Patrem*, *Lux Solem*, aut inferior pars fluminis ſuperiorem. Hæc enim, dum ſunt, *abſolute* exiſtunt, etſi habeant Eſſentiam aliunde jugiter emanantem. Facile enim apprehendimus perfectam illorum

exiſtentiam non conſiderata aliqua dependentia: Sic *Diem* concipimus non conſiderata illius dependentia a Sole, nec Dependentia illa exiſtit, ſed eſt ſolummodo ſequela neceſſaria, Opuſque Intellectus *Syllogizantis*.

Objicitur rurſus aliter ſe quiſque habet ad *Patrem* quam ad *Filium*, nemine cogitante, Ergo *Paternitas* & *Filiatio* ſine Mentis ope exiſtunt: Reſpondeo, Nihil intelligi per Antecedentem quam Patrem & Filium ſine Mentis ope eſſe res, quæ ſi ope Intellectus *Reſpectum* haberent, eo modo *inæqualem* haberent.

Si autem exiſteret Reſpectus, puta *Paternitas*, vel eſſet in *Patre*, vel in *Filio*, vel partim in *Patre*, partim in *Filio*: ſi in alterutro exiſteret, mortuo filio *Paternitas* ſupereſſet in Patre, vel mortuo Patre in Filio ſupereſſet, Hoc vero nemo aſſeruit. Magis autem abſurdum eſt dicere in *utroque*, quoniam ita eſſet Ens Reale in *utroque*. Præterea nulla ratio eſt quare *Paternitas* magis dicatur *Ens Reale*, quam

In-

Infiniti illi Reſpectus quos unum aliquod Punctum diverſos habet ad ſingulas Mundi particulas: Diverſos dixi, aut ratione *Situs*, aut *Diſtantiæ*; quod ſi quilibet Reſpectus eſſet Ens Reale, Quodlibet Punctum creatum efficeret infinita Puncta, & molem ipſi Mundo æqualem.

Nec dicendum quod quia *Paternitas* & *Dominium* inter ſe diſtinguuntur, faciuntque diverſos conceptus, ideo ſunt Entia Realia, cum etiam Reſpectus omnes quos prædictum *Punctum* habet ſint diverſi, conceptuſq; diverſos faciunt, dum aliud alio magis *Occidentale* ſit, aut magis *Oritale*, *Propius* aut *Remotius*.

Denique Relationes nullam faciunt aut compoſitionem aut mutationem *Realem* in Subjectis quibus adjiciuntur, aut a quibus auferuntur, ideoque ſunt *Nihil*. Quæ enim mutatio in *Ovo* cum alicubi in utravis *India* novum Ovum non *diſſimile* ponatur ad quod reſpectum habeat? *Male* dividitur Relatio in

1 Realem quæ rebus convenire debet ſine Mentis ope cum hujuſmodi nuſquam reperiri poſſit: Et

2 Rationis:

De *Terminis*, *Relato*, *Correlato*, *Fundamento*, *&c.* Conſule Logicos. Relationibus adjici poſſunt Denominationes *Externæ* quæ ſunt Appellationes Rei cujuſvis ſumptæ ab aliquo *extra* Denominatum, ſic Paries dicitur *viſus*, Deus *Creator*, Homo *Europæus*, Piſcis *Aquatilis*, *&c.* Sunt vero hæc quoque *non entia*, quia nihil Reale additur Parieti ex Hoc quod viſus *eſt*, Quod vero dictum ſit de Relatione ſufficiat de his quoque cum utrique concipiendi modi maxime ſint Affines.

Ens unum cum Reſpectu ad alterum dicitur

1 Ab Omni Alio diverſum: idque aut

1 Realiter viz. ut *Res* & Res. Dicuntur autem differre vel *Genere*, *Specie*, vel *Numero*: vel

2 Ratione, idque vel

1 Ratiocinante: ubi nullum Diſtinctionis fundamentum: ſic Homonyma, Prædicatum & Subjectum

in

in propoſitione *identica* diſtinguuntur: vel

2 Ratiocinata: ubi eſt *aliquod* fundamentum, ut Hoc Album, Hoc Dulce, Acclive, Declive, quæ diverſitatem faciunt conceptus.

Non datur alia diſtinctio præter Realem & Rationis cum quicquid diſtinguitur aut Ope Intellectus, aut ſine Ope diſtinguitur: nulla eſt diſtinctio *Modalis*, quia nulli ſunt Modi entium quæ nec ſunt entia Realia, nec Rationis

[2] Ex Referendo unum ad Aliud Res dicuntur *Totum* aut *Pars:* Totum vero eſt vel

1 Negativum, ſeu Indiviſibile, quod non habet partes, ut *Deus*, *Atomus:* vel

2 Poſitivum, idque vel

1 Per Accidens, & dicitur *Aggregatum*, ut *exercitus*, *Acervus Lapidum*, *Horologium*, &c. vel

2 Per ſe, atque eſt vel

1 Univerſale; ut *Genus*, *Species* quorum partes dicuntur ſubjectivæ: vel

2 Eſſentiale: ut *Homo* quatenus eſt Ani-

Animal Rationale; vel

3 Integrale: ut partes *Materiales* ex quibus aliquid componitur quæ appellantur partes *Integrantes:* ſunt autem vel

1 Homogeneæ, ubi quælibet *pars* habet *idem* nomen cum *Toto:* ut in *Aqua:* vel

2 Heterogeneæ; ubi *non* habent, ut *Bos.*

[3] Ex Referendo Unum ad Aliud Res dicuntur *Cauſa* aut *Cauſatum:* Omnis vero cauſa eſt vel

(1) Externa.

Cauſæ Externæ ſunt

1 Efficiens,

Cauſa Efficiens eſt cujus vi res *externe* cauſantur.

Omnis vero Cauſa efficiens eſt vel

1 Per Accidens: eaque aut

1 Fortuna, in Creaturis *Rationalibus* cum aliquid præter intentionem producunt: vel

2 Caſu, in iis quæ non agunt *Rationaliter*, ut lapſus Teſtæ a tecto.

2 Per

2 Per ſe: atque eſt vel
1 Cauſa Prima: ut *Deus*, vel
2 Secunda: Cauſa vero *Secunda* vel eſt
1 Proxima, vel
2 Remota utraque vel
1 Naturalis: vel
2 Voluntaria: Cauſa vero Voluntaria eſt vel
1 Immanens: Quæ Effectum *in ſe* producit: ut Intellectus cum intelligit, vel
2 Tranſiens, quæ *extra ſe* effectum producit: eaque eſt vel
1 Æquivoca: quoties Effectus *non eſt* ejuſdem ſpeciei cum Efficiente; vel
2 Univoca quoties eſt:
Effectus vero Omnis reſpectu habito ad Cauſam aut procreantem, aut Conſervantem dici poteſt vel
1 Poſſibilis, quod nondum eſt, ſed poteſt eſſe: vel
2 Contingens: quod jam eſt, & potuit

tuit non eſſe, atque hoc dicitur reſpectu *Noſtri*, cum reſpectu *Dei* nihil eſt Contingens, ſed omnia *neceſſaria* Deo; vel

3 Neceſſarius quod non poteſt aliter eſſe: Neceſſitas vero Omnis eſt vel
1 Rei vel
2 Propoſitionis quæ pendet a Neceſſitate Rei.

4 Impoſſibilis: quod nec eſt, nec poteſt eſſe: Aliquod vero dicitur Impoſſibile vel
1 Abſolute, cujus Termini repugnant, ut *Quadrata Sphæra:* vel
2 Hypothetice, quod licet *in ſe* Poſſibile ſit, tamen propter *Hypotheſin* factam non poteſt eſſe: ut Mundus alius quam *Deus* velit.

2 Finalis: propter quam Res eſt: Eſt autem finis omnis vel
1 Formalis ſive Subordinatus: ut iter ad *Londinum:* Acquiſitio Summi Boni: vel
2 Objectivus ſive ultimus: ut *Londinum:* ſive Summum Bonum.

Finis etiam eſt vel
1 Cujus: id eſt, cujus Rei acquirendæ gratia

gratia Efficiens agit, ut *Domus:* vel
2 Cui: & eſt Subjectum cui finis acquiritur, ut *Homo* Cui Domus ædificatur.

Omnis vero finis eſt *Bonus* vel *Honeſtus*, *Utilis* vel *Jucundus*. Finis eo modo producit effectum quo *Ulyſſes* apud *Ovidium* facta Omnia *Achillis* ſibi vendicat.

(2) Interna: Cauſæ vero *Internæ* ſunt vel

1 Materialis: Eſtq; ipſa Materia, quæ ubique *eadem* eſt, & diſtinguitur ſolummodo *variis* modificationibus: ita ut quodlibet poſſit fieri ex quolibet: Dicitur autem

1 Prima, id eſt Informis.

2 Secunda, id eſt, Materia forma aliqua veſtita.

2 Formalis: atque eſt ipſa Rei cujuſvis *Forma*. Forma vero nihil eſt niſi talis Diſpoſitio & Modificatio materiæ, ſive Cumulus Accidentium, Dicuntur autem *Formæ educi e Potentia Materiæ*, quia materia poteſt hoc vel illo modo diſponi: Non datur *Forma Subſtantialis*, quia non potuit aliqua

qua Subſtantia produci ex illa materia, in qua actu non fuit, ſine *Creatione:* Accidentia vero ſunt vel

1 Eſſentialia, vel

2 Accidentialia.

[4]Ex Referendo Unum ad Aliud Res dicuntur vel

1 Subjectum: & eſt id cui Aliquid in-*inhæret*, Subjectum vero eſt vel

1 Quo: & eſt *immediatum*, ut Superficies Corporis ſuſtinet veſtes: vel

2 Quod ſive *mediatum*; ut Petrus ſuſtinet veſtes.

In *Theoreticis* idem dicitur Subjectum quod & Objectum: eſtq; vel

1 Materiale: ut Corpus, quod *variis* Scientiis commune eſt vel

2 Formale: ut Corpus *quatenus Naturale*: Ens quatenus eſt Ens: atque Hoc eſt *Uni* Scientiæ proprium.

2 Adjunctum, atque eſt vel

1 Proprium; quod Omni, Soli, Semper, & convertibiliter convenit: vel

2 Commune: & dicitur Accidens Prædicabile.

Eſt etiam *Adjunctum* Omne vel

1 Internum, quod ſubjecto inhæret, ut

ut Accidens cujus ſubjectum dicitur *Inhæſionis:* vel

2 Externum: quod ad ſubjectum extrinſecus ordinatur: eſtque vel

1 Objectum: circa quod Res in Operando verſatur, (Subjectum Rebus tribuitur ad exiſtendum, objectum ad Operandum) vel

2 Signum: quod eſt vel

1 Naturale: ut *pulſus concitatus* eſt ſignum *Febris*, *Aurora* eſt ſignum *Diei:* vel

2 Ex inſtituto: ut Voces, Hieroglyphicæ: &c.

3 Circumſtantiæ; ut Locus, Veſtitus, &c.

[5] Ex Referendo Unum ad Aliud Res dicitur.

1 Agens: *Actus* vero Omnis eſt vel

1 Primus: id eſt, ipſa Eſſentia *quatenus* eſt Cauſa Actionum: vel

2 Secundus: & eſt ipſa Actio, quæ eſt vel

1 Signata, nempe *Univerſalium*, ſic *Genus* & *Differentia* conſtituunt *Speciem:* vel

2 Exercita: & eſt *Singularium*:

Omnis

Omnis etiam Actus eſt vel

1 Formalis: per quem exiſtunt ea quæ habent formam: vel

2 Entitativus, per quem exiſtunt ea quæ non habent formam, ut *Materia prima*, cui Opponitur *Potentia Objectiva*, & eſt Actio entis *poſſibilis* ad exiſtentiam: quatenus poſſit fieri Efficientis Objectum.

2 Patiens: *Paſſio* autem eſt vel

1 Tranſmutativa: quoties fit realis aliqua mutatio *externa*, ut cum Aqua calefit, vel

2 Intentionalis: Cum nulla fit *realis* Mutatio ut cum Paries videtur.

[6] Ex Referendo Unum ad Aliud dicatur Res *Major* vel *Minor*, *Similis* vel *Diſſimilis*, *Æqualis* aut *Inæqualis*, *Formoſior*, *Doctior*, denique comparativa omnia ſunt Reſpectus unius ad aliud quæ non ulteriore explicatu indigent:

III. Mutuamur Conceptus aliunde componendo *Disjuncta*, eaque vel

1 Compoſſibilia, quæ poſſunt uniri ſine ulla *Naturæ* reſiſtentia, ut *Mons Aureus*: ſic *Æthiopem* qui nunquam talem viderit ſibi effingit, nempe cum

cum noverit quid ſit *Homo*, quid *Nigredo* utriuſque conceptum jungit; ſic Pictores olim *Venerem* adumbrabant, vel

2 Incompoſſibilia; ut *Chimæra*, *Hircocervus*, *Centaurus*, quæ Omnia non tam *concipimus* quam *fingimus*, nec magis concipi poſſunt quam *frigidus* Calor, aut *Nihil*, cum ipſi quoque Termini & conceptus includant repugnantiam, & contradictionem; Atque hæc apud *Metaphyſicos* dicuntur *Entia Rationis*, certe maxime improprie cum revera ſunt verba quibus nec *Res* nec *Conceptus* convenire poſſunt:

Dicuntur vero a *Metaphyſicis* habere *Eſſe Intentionale*, *Exiſtere in ſolo intellectu*, *idque Objective tantum*, non magis enim concipi valeant quam duas propoſitiones *contradictorias* ſimul eſſe actu veras, quod noſtræ rationi ſummopere repugnat: Si conarer autem *Centauri* conceptum facere concipio *Hominem*, inde *Equum*, & cum aliunde cognoſcam quid ſit *Compoſitio*, eam quoque

concipio, atque hæc omnia vere & distincte apprehendo, quicquid autem ultra est, obscurum & imperfectum videtur, *viz.* *Centaurum* concipimus; vel sub notione Stultuli Homuncionis figura partim *Equina*, partim *Humana*, miscendo modo membra *Equina Humanis*, modo *Humana Equinis*, & utrumque quantum possumus *confundendo*, utraque vero Essentialiter *unita* nequaquam concipi valeant, cum oporteat Rem eandem simul Ratione *pollere*, & *non pollere*, habere *duos* tantum pedes, atque interim habere *quatuor*: Quæ non magis concipi possunt quam *Corpus* perfecte simul *Nigrum* & perfecte *Album*; aut idem simul esse & non esse:

Nec obstat quod solemus disputare de *Ente Rationis* Propositionibus contradictoriis *&c.* cum ad Disputationem aut dubitationem sufficiat *comprehensio* Prædicati & Subjecti, etiamsi ea tanquam convenientia minime apprehendi queant, imo disputare licet de verbis quorum nullum

nullum omnino conceptum facimus, ut de *Nihilo*, aut *Non Ente*; veluti diſputare poſſum utrum Nihil in *Orientali* parte Mundi coire poſſit cum Nihilo in *Occidentali* parte Mundi, interim vero neutrum concipi poteſt cum nihil eſt quod conciperetur.

Siquis vero Moleſtus repugnet, dicatque ſe poſſe Entia Rationis *concipere*, concipiat per me licet:

Ex variis rerum conceptibus dicitur aliquid exiſtere in Intellectu vel

1 Effective; ut *Inventum* Aliquod novum, *Hypotheſis* Aſtronomica vel

2 Subjective: ut *Diſciplinæ*, *Virtutes*, *Vitia*, vel

3 Objective; idque vel

1 Quod poteſt exiſtere *extra* intellectum, Sic Entia omnia Realia vel

2 Quod non poteſt exiſtere *extra* Intellectum, Sic Entia Rationis, atque hæc dicuntur a *Metaphyſicis* exiſtere tantum Objective in Intellectu:

IV. Mutuamur Conceptus *disjungendo Compoſita*, Sic *Phyſici* concipiunt materiam *primam:* quatuor *Elementa*, *Albedinem* lactis ſine ejus *dulcedine*, & id genus innumera.

V. Mutuamur conceptus *augendo & minuendo*, Sic *Gigantem*, *Pygmæum*, *Montem Atlantem* &c. item *puncta*, & *lineas* Mathematicas concipimus.

VI. Mutuamur Conceptus *conſiderando Corpus in loco ubi fuit & ubi eſt*, vel ubi prius fuerat, & ubi poſterius fuerat, atque dicitur *Motus*

Motus enim non exiſtit, nec Corpus unquam exiſtit *movens*, Motus enim eſt *opus Intellectus* apprehendentis Corpus diverſis temporibus & locis, *viz.* ſi uno momento Corpus ſit in hoc loco, ſequente momento in alio Loco, comparando utrumque locum dico Corpus moviſſe: verum ſine ope Intellectus Omne Corpus exiſtit in loco ubi eſt, ſine reſpectu ad locum quem reliquit.

Locus vero eſt *Spatium Locati*, non

non autem eſt Ens *Reale*, quia tum Locus eſſet in Loco, & ſic in *Infinitum*;

Spatium autem eſt *ratio & Cauſa Diſtantiæ*, cum vero Diſtantia ſit nihil Reale ideo nec *Spatium*:

Localitas Omnis eſt vel

1 Ubiquitas, id eſt Localitas *Infinita* quæ ſoli *Deo* convenit qui replet omnem locum:
Infinitum vero aliquid eſt vel
1 Vel in Se: ut *Deus* vel
2 Quoad Nos: ut *Stellarum aut Arenarum numerus*:

2 Ubietas: & eſt Localitas *finita*;
Locus vero eſt vel
1 Externus, nempe ſuperficies concava Spatii ambientis: vel
2 Internus: & eſt Totum Spatium quod Corpus occupat *intrinſece*: Dicitur vero aliquid eſſe in Loco: vel
1 Circumſcriptive ut *Corpus*: vel
2 Definitive: ut *Angelus*: vel
3 Repletive: ut *Deus*: qui replet omne Spatium Virtute & Eſſentia:

VII.

VII. Mutuamur Conceptus *conſiderando rem quatenus Hodie exiſtit*, & *Heri exiſtebat*, ſive diſtantiam intra horam, aut Diem unum atque alium: atque hoc dicitur *Duratio*, dum enim conſidero Res exiſtentes in hoc inſtante, & ſequente, & ſic deinceps, conſidero Durationem:

Duratio vero Rei non eſt *Ens Reale* quia tum Duratio exiſteret in aliqua Duratione, & ſic in Infinitum, cum Omne Ens Reale habeat ſuam durationem: Quicquid autem exiſtit exiſtit in certo aliquo inſtante; Duratio vero Rei *eſt Relatio Rei exiſtentis in hoc inſtante ad eandem Rem exiſtentem in alio Inſtante*, ita ut Duratio non tam ſit in *Rebus* ipſis quam in *intellectu* comparante:

Fundamentum Durationis eſt *continuatio Rei* in ſuo Eſſe Abſoluto, ſive Exiſtentia Rei in variis momentis unde ab intellectu aliquo fieri poſſit Reſpectus:

Omnis Duratio eſt vel

1 In-

1 Infinita : eaque vel
  1 A parte *Priori & Poſteriori* ; & talem *Deus* ſolum habet : vel
  2 A *Poſteriori tantum* : talis Angelis convenit, Animiſque humanis diciturque *Æviternitas.*
2 Finita : eaque eſt vel
  1 Permanens, quæ eſt illorum quæ ſuum Eſſe ſimul habent, atque Realiter exiſtunt : vel
  2 Succeſſiva ; atque ita appellatur eorum Duratio quæ exiſtunt ſecundum *Prius & Poſterius* : quæ omnia proprie non Exiſtunt, ſed ſunt conceptus tantum, ut Tempus : Motus *&c.*
  Pars vero hæc Durationis a Principio Mundi ad Finem appellatur *Tempus*, eſt autem *Tempus* Omne vel
    1 Internum : quod eſt Abſoluta Exiſtentiæ Continuatio ſive exiſtentia Rei in uno, altero, tertio Inſtante *&c.* vel
    2 Externum : & eſt id quo menſuratur hæc Exiſtentiæ permanentia, ut *Motus Solis, Cælorum* &c.

Ens

Ens male dividitur in *Abſolutum & Reſpectivum*, Cum Omne Ens ſit Abſolutum, Reſpectuſque omnis pendeat ab Intellectu:

Male etiam dividitur in *Ens Actu & Potentia* quonium actu Ens eſt tantum Ens: uti ſolummodo *actu Vivens* vivit, ſi enim Ens in Potentia eſſet aliquid, eſſet priuſquam eſſet, quod fieri non poteſt:

Male etiam Ens dividitur in *Univerſale & Singulare*, cum Omne Ens ſit in ſe *indiviſum*, & Univerſalia non exiſtant, ſed fiant ab Intellectu ſolo:

Male etiam Ens dividitur in *Subſtantiam & Accidens*, cum Omne Ens ſit Subſtantia, & Accidentia non exiſtant niſi in Intellectu:

Poſtremo Diviſiones Entis in *Idem & Diverſum*, *Nomen & Participium*, aliaque hoc genus minus proprie habendæ ſunt, cum Omne Ens ſit Idem, & Diverſitas non exiſtat, ſed eſt reſpectus Unius Rei ad aliam, pendeatque ab Intellectu: Neque dari poſſit aliud Ens quam Ens participium, cum ex prædictis conſtet Entia Nomina non eſſe

eſſe Entia, ideoque nullum medium dari poteſt inter Ens & non Ens ; cum quicquid non Exiſtat realiter, ſit *Nihil:* Ens vero Omne eſt vel

1 Incorporeum ; idque vel
  1 Increatum : ut *Deus* vel
  2 Creatum ut *Angeli* aut *Animæ Humanæ :*
2 Corporeum : Quod eſt vel
  1 Senſibile : idque eſt vel
    1 Rationale : ut *Homo* vel
    2 Irrationale ut *Brutum :*
  2 Inſenſibile : idque eſt vel
    1 Inanimatum : ut *Cæli, Lapides, Metalla,* & *Elementa :* vel
    2 Animatum : ut *Arbor, Frutex, Herba,* &c. De quibus *Logicos* Conſule.

FINIS.